



## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Theologia Moralis, Seu Resolutio Casuum Conscientiæ**

Juxta Sacram Scripturam, Canones, Et Sanctos Patres

Continens Tractatus de Sacramentis in genere; de Baptismo, de Confirmatione, Eucharistia, Sacrificio Missæ; Constitutionem Innocentii XII. super celebratione Missarum, variaque alia decreta

**Genet, François**

**Parisiis, 1703**

Q. 4. An sufficiat elicere actum contritionis? &c.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40834**

## 34 TRACTATUS I.

S. Carol. ac- Resp. Omnidò tenetur: Parochus, ait san-  
tor. p. 4. De- tor Carolus, omnisque Sacerdos, cuius est  
Sacrament. ad- Sacra menta administrare, primùm sollicitè  
ministr. & intimè cogitare debet, an alicujus peccati  
mortalis (quod sanctissima cautione Sacerdos  
evitare debet) sibi concius sit. Quòd si reum  
se esse novit, priùs sacramentali confessione  
se expiare studebit; contritionem certè habere  
quam diligentissimè curet.

Quest. 4. Sufficit-ne elicere actum contri-  
tionis ante Sacramenti administrationem, cùm  
quis se reum novit peccati mortalis?

Conc. Trid.  
fess. 13. cap.  
7.

Decret. Ale-  
xandri VII.  
18. Martii.  
1666.

Resp. Non sufficit, si adsit confitendi facul-  
tas sine præjudicio reipublicæ, aut privatæ  
personæ in urgente necessitate. Quod quidem  
expresè definitum est à Concilio Tridentino  
quantum ad Missæ sacrificium. Ecclesiastica,  
inquit, autem consuetudo declarat, eam pro-  
bationem necessariam esse, ut nullus sibi cons-  
cius mortali peccati, quantumvis sibi contri-  
tus videatur, absque præmissa sacramentali  
Confessione, ad sacram Eucharistiam acce-  
dere debeat. Idemque Concilium Can. II.  
ejusdem fess. Statuit atque declarat ipsa Sy-  
nodus, illis quos conscientia peccati mortali  
gravat, quantumcumque etiam se contritos  
existiment, habitâ copiâ Confessoris, necessa-  
riò præmittendam esse confessionem Sacra-  
mentalem. Quod si ob urgentem necessitatem te-  
neatur Sacerdos celebrare ante confessionem,  
tenetur peracto sacrificio quam primùm confi-  
teri; & Alexander VII. sequentes proposicio-  
nes damnavit. 38. Propositio damnata. Man-  
dato Tridentini factum Sacerdoti sacrifican-  
ti ex necessitate cum peccato mortali, confiten-  
di quam primùm, est consilium non præcep-  
tum. 39. Propositio damnata. Illa particula  
quam primùm, intelligitur cùm Sacerdos sus-  
tempore confitebitur.

*De Sacramentis. Cap. VI. 35*

Ex quibus concludi potest, idem dicendum esse de reliquis Sacramentis; quia ex Tridentino, quamvis major adhibenda sit præparatio ad recipiendam Eucharistiam quam ad alia Sacra menta, necessarius tamen semper est status gratiæ, pro administrandis omnibus Sacramentis; ac proinde necessariæ sunt omnes dispositiones, quas requirit Concilium, ut habeatur certitudo moralis, quod quis non sit in statu peccati mortalis; proindeque tenetur quis confiteri habitâ Confessoris copiâ, si se nov erit esse in peccato mortali, cum Concilium judicaverit hanc dispositionem requiri ad habendam illam certitudinem moralem.

Secundò, quia nunquam potest esse vera contritio, quando quis se peccati mortalis reum agnoscens negligit confiteri, habitâ copiâ Confessoris: nam ut vera sit contritio, debet continere firmum propositum confitendi quam primum, nec confessionem proinde negligere, quando ejus facienda habet facultatem; atqui constat in casu proposito, eum qui solo contritionis actu contentus est prius quam Sacramentum administret, non habere hoc firmum propositum confitendi quam primum, cum id non curet, licet id possit com modè facere ut supponimus; certum igitur est, ejus contritionem non esse veram.

*Quæst. 5.* Est-ne peccatum omittere aut mutare aliquam ex ceremoniis ab Ecclesia præscriptis in Sacmentorum administratione?

*Resp.* Utique peccatum est, ut expressè definit Concilium Tridentinum his verbis: *Si quis dixerit, receptos & approbatos Ecclesie Catholice ritus in solemni Sacmentorum administratione adhiberi consuetos, aut communi, aut sine peccato à Ministris pro libito*

B 7